

illa babeant Officium dupl. 21. Octob., quaeritur: an licite possint omnes de illa habere Officium? S. R. C. resp.: Officia particularibus locis concessa, quamvis SSrum in martyrologio rom. expressorum, sede ap. inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc, cum sermo sit de Officio s. Ursulae etc. approbato ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite ac valide recitari possit in iis locis, in quibus s. Ursulae etc. festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto. n. 4110 ad 5. die 22. Apr. 1741. Ubi habentur insignes reliquiae plurimum ss. VV. et MM. a societate s. Ursulae fieri debet Officium dupl. de ss. Ursula et Sociis cum sola commemor. s. Hilarionis, ut fit Romae in patriarchali Ecclesia s. Mariae M., ubi asservatur caput unius ex sociis s. Ursulae. Et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis Ecclesiis, in quibus festum ss. Ursulae et Soc. aliunde esset dupl. vel semid. n. 4198 ad 5 die 11. Jan. 1749.

USUS.

1) Anuli, bugiae, mitrae Canonior.

Vd.: *Usus Pontifical.*; *Mitra.*

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Amalphitanae.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis solvunt, ut externa decora adepti magis illi magisque conentur internis virtutibus enitere, utque ad sacra ministeria accurate implenda iis apostolicae beneficentiae calcar adatur.

§. 2. Hinc quum dilecti filii dignitates et canonici metropolitanae ecclesiae Amalphitanae divo apostolo Andreae sacrae suppliciter a Nobis petierint, ut mitrae et anuli decore eos omnes ditemus, quum jam duae primae ejusdem capituli dignitates mitram ex apostolica concessione, ut asseritur, in praesentiarum gestent, aliique cappa et rocchetto utantur; quumque venerabilis frater archiepiscopus Amalphitanus suo apud Nos scripto testetur, Amalphitanam civitatem antiquitatis splendore, civium virtute et doctrina ac praecipua in hanc sanctam Sedem fide et devotione merito celebrari praedictamque metropolitanam ecclesiam eleganti opere esse constructam, sacris suppellectilibus ac redditibus satis superque instructam ac insignibus sanctorum reliquiis ditatam; quinque vero dignitates, duodecim canonicos, octo hebdomadarios de numero appellatos totidemque supranumerarios aliosque haud exiguo numero presbyteros et clericos sacras in dicta ecclesia caeremonias decentissime obire, haud gravate inducimur, ut eorum precibus obsecundemus.

§. 3. Qua propter eosdem oratores peculiari beneficentia et honore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati dignitatibus et canonicis metropolitanae praedictae Amalphitanae tam praesentibus quam futuris facultatem gestandi mitram ex tela et anulum cum unica gemma in solemnioribus tantum anni functionibus, servata in reliquis forma et dispositione apo-

licarum constitutionum et decretorum congregationis sacrorum Rituum, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 3. Aprilis 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 51. Ed. Romae.)

Concessus usus mitrae albae pro dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis Liparensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum pontificum praecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, peculiaria insignia deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque decorationes excitati internarum virtutum splendore lucere conentur in domo domini.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni quatuor dignitates et quatuordecim canonici cathedralis ecclesiae Liparensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude vetustissimorum praesulum sanctitate nunc ibi Altissimo famulantium sacerdotum probitate et doctrina ita floreat, ut una ex praestantioribus finitimarum regionum ecclesiis habeatur, multum splendoris ad eam accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem cathedralis dignitates et canonici nova aliqua insigniori decoratione ornentur.

§. 3. Nos praemissis causis adducti eosdem dignitates et canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi

volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis praememoratae cathedralis Ecclesiae Liparensis, ut ipsi in civitate et dioecesi Liparensi in missis, vespers ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu publicis supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra indumenta adhiberi oporteat, mitra alba uti libere ac licite possint et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus eisdemque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur ipsosque super praemissis a quoquam perturbari aut impediri nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos et dictae sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Julii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 112. Ed. Romae.)

Confirmatio resolutionis captae a S. Congregatione Rituum super concessione anuli et palmaris pro Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae cathedralis Lucanae.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Canonici Lucanae Cathedralis Ecclesiae a remotis hinc saeculis tam multis tamque honorificis dignitatis significationibus ab apostolica hac Sede sunt honestati, nihil ut illustrare eorum conditionem possit et in illam cadere, quod non praedecessores Nostri in illos liberaliter effuseque contulerint. Jam vero inter privilegia ac decora, quae illi sibi pontificiis diplomatibus tributa esse putarunt, ea quoque fuere, ut sibi fas esse censuerint anulum gestare et in privata sacrosancti sacrificii celebratione candelabrum illud adhibere manubrio instructum, cui palmatoriae nomen imponitur. Sane utriusque usus apud ipsos vigere fertur ab eo tempore, quod hominum memoriam excedat.

Verumtamen quia, excuso canonicorum vetustissimo tabulario, nihil eruere documenti contigit, quo privilegia illa fulciantur, idcirco nonnulli ex dilectis filiis dignitatibus et canonicis cathedralis Ecclesiae animo angi coeperunt anulique et palmatoriae usum sibi impermissum putare. Ea propter suppliciter a Nobis postulatum est, ut saltem ratione habita diuturnae consuetudinis temporisque memoriam omnem excedentis, ex quo mos utendi anulo ac palmatoria apud ipsos inolevit, utriusque usum apostolica ipsis benignitate tribuamus.

§. 2. Nos vero petitionem ejusmodi diligenti examine accuratoque judicio perpendendam dedimus congregationi venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium ecclesiasticis ritibus propositorum ac die XVII. praeteriti mensis Februarii, referente dilecto filio magistro J. A. Sola, ejusdem Congregationis secretario

coadjutore, editum est decretum in haec verba: Sanctitas Sua, me infra-scripto sacrorum Rituum Congregationis secretario referente, attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus habitaque ratione expositorum necnon Rmi Archiepiscopi Lucani votis benigne inclinata, derogando in hac parte, quatenus opus fuerit, novissimae constitutioni san. mem. Pii VII. praedecessoris sui: *Decet Romanos Pontifices*, ex speciali gratia nullo unquam tempore in exemplum afferenda dignitatibus et canonicis praefatis indulsit, ut in posterum intra limites Lucanae dioecesis uti valeant anulo et palmatoria in missarum celebratione, ita tamen ut anulus ex unica constet gemma auro alligata et in altaris sacrificio unicus dumtaxat adsit clericus superpelliceo indutus, qui eisdem ministret. In reliquis se omnino conforment laudatae constitutioni datae IV. Nonas Jul. 1823, necnon decretis sacrorum Rituum Congregationis: nuper autem demissis precibus petitem a Nobis est, ut per Nostras apostolicas literas piscatoris anulo obsignandas ei rescripto robor confirmationis addamus.

§. 3. Nos vero dilectos filios dignitates et canonicos Lucanae Cathedralis peculiari prosequi beneficentia volentes decretum a Nobis editum die XVII. mox elapsi Februarii, quo anuli et palmatoriae usus conceditur oratoribus, confirmamus et approbamus adjectisque concessioni Nostrae conditiones accurate servari praecipimus.

§. 4. Decernentes insuper has literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et memoratis dignitatibus et canonicis eorumque successoribus quoad ea, de quibus habita est mentio, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et dele-

gatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum et Pii VII. praedecessoris pariter Nostri constitutione: *Decet Romanos Pontifices*, aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 20. Martii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 31. Ed. Romae.)

Clemens PP. XIII.

Alias felicitis recordationis Benedictus XIII. Praedecessor Noster Capitulo et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae *Urbinate*, ut ipsi tam in civitate quam in dioecesi Urbinate absente vel praesente Archiepiscopo sive interveniente Legationis Urbinate S. R. E. Legato de latere in missis, vesperis et laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar Abbatum usum mitrae habentium uti libere et licite possint ac valeant, licentiam et facultatem apostolica auctoritate concessit et indulsit ac alias prout in suis sub plumbo anno Incarnationis dominicae tertio Idus Augusti desuper expeditis literis uberius dicitur contineri.

§. 2. Exortis postmodum nonnullis

controversiis inter bonae memoriae Antonium tum Archiepiscopum Urbinateensem et Capitulum ac Canonicos praedictos super usu mitrae aliorumque indumentorum et paramentorum hujusmodi iisque delatis Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum inter caetera coram ea praeposita fuerunt duo sequentia dubia, nempe: *An uti valeant palmatoria seu bugia in pontificalibus et in missis lectis et privatis et an in Metropolitana Ecclesia uti possint mitra et pontificaliter celebrare in missis defunctorum?* Quibus in Congregatione habita die 24. Januarii 1752 responsum fuit: *Negative et amplius*; ac hujusmodi dubiorum resolutionem fel. rec. Benedictus Papa XIV. itidem praedecessor Noster per suas plumbo anno Incarnationis dominicae 1751, tertio Calendas Martii expeditas literas dicta auctoritate perpetuo comprobavit et confirmavit illasque a tunc et pro tempore existentibus Canonicis et Capitulo dictae Ecclesiae ac Dignitates in ea obtinentibus firmiter et inviolabiliter observari mandavit ac alias, prout in eisdem literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

§. 3. Cum autem nuperrime praefatae Ecclesiae Urbinate per obitum bo. me. Antonii Pastoris solatio destitutae Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum in Archiepiscopum praefecerimus et Pastorem, is Capituli, Dignitatum et Canonicorum ejusdem Ecclesiae majori decori consulere cupiens suum assensum praestitit ad hoc, ut Dignitates, Canonici et Capitulum hujusmodi Nobis et huic sanctae Sedi preces porrigere possent pro obtinendo novo apostolico Inaulto *utendi tam in Pontificalibus quam in missis lectis et privatis palmatoria seu bugia*

nuncupata ac simul Mitra in missis solemnibus defunctorum; quapropter Dignitates et Canonici et Capitulum hujusmodi specialibus gratis et favoribus prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati eisdem Dignitatibus, Canonici nunc et pro tempore quodcumque existentibus et Capitulo praedicto, ut in posterum tam in missis lectis et privatis quam in Pontificalibus palmatoria seu bugia atque etiam canone missae necnon mitra in missis solemnibus defunctorum uti libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium de novo concedimus et indulgemus.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac inviolabiliter observari.

§. 6. Non obstantibus memoratae congregationis resolutionibus praedictis ac ejusdem Benedicti praedecessoris literis, tam illas, ut praefertur, approbantibus et confirmantibus, quam super divisione materiarum anno Incarnationis dominicae sexto Calendas Decembris sub plumbo expeditis aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon dictae Ecclesiae et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus.

Romae die 13. Augusti 1766.

(Bull. r. Continuatio t. III. p. 208. Ed. Rom. 1841.)

2) Baculi Canonicorum.

Capitulo et Canonici Cathedralis Ecclesiae Lyciense conceditur usus

baculi in pontificalibus pro iis temporibus tantum, quo sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit.

Pius Papa VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii dignitates et canonici presbyteri cathedr. Eccl. Lyciense, quod dudum sibi sub certis modo et forma tunc expressis auctoritate apostolica indulsumus, ut pontificalia deferre ac in pontificalibus celebrare ad instar dignitatum et canonicorum metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae, excepto tamen pastorali seu abbatiali baculo libera et licite possent ac valerent ac aliis prout in Nostris desuper in simile forma brevis die 11. Octobris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fustus continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ipsi dignitates et canonici etiam baculo praedicto uti posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes amplioris gratiae favoribus prosequi volentes atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati eisdem dignitatibus et canonicis presbyteris nunc et pro tempore in perpetuum existentibus, ut in pon-

tficalibus hujusmodi habendis etiam baculo praedicto ad instar memoratae metropolitanae Ecclesiae neapolitanae ac pro iis temporibus dumtaxat, quibus Sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit, libere et licite uti eumque gestare possint et valeant, servata tamen in reliquis praecedentium literarum Nostrarum forma et dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae de speciali mandato die 20. Aprilis 1805.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 305. Ed. Romae.)

3) Lyturgicus.

Vd.: *Ritus, Caeremoniae, Consuetudo.*

Quando Praelatus nonnullos introduxerit usus ac Dignitates et Canonici illi assensum praestiterint, dicti usus continuari possunt ad servandam pacem, dummodo non obstat Caeremoniale Ep.

N. 3551 ad 11 die 13. Mart. 1700.

Vd.: *Instruct. Clem. §. XXXVI. unum. 18 et 19.*

4) Mitrae et baculi Priorum.

Concessio usus mitrae et litui prioribus monasterii pro tempore sancti Laurentii del Escorial in regno Hispaniarum.

Gregorius PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. In hac suprema principis apostolorum cathedra nullis certe Nostris promeritis sed admirabili divinae providentiae consilio collocati ac propterea ad omnipotentis Dei cultum augendum omni quidem cura continenter intenti sacrorum insignium additamenta ea

sane de causa concedere saepe soleamus, ut sacris in templis divinis splendidior cultus effulgeat atque il, qui externo honestantur decore, internis studeant enitere virtutibus atque acriori quodam incitati stimulo quoque religionis ministeria majori studio ac diligentia obeunda curent et populorum animi magnifico sacrarum rerum apparatu vehementer commoti magis magisque ad pietatem Deique amorem ita excitentur, ut terrestria spernentes spectent coelestia. Hac profecto mente fel. rec. Pius VIII. praedecessor Noster apostolicis literis die vicesimo octavo Septembris anno millesimo octingentesimo trigesimo datis et anulo piscatoris obsignatis indulxit, ut dilectus filius Josephus a Cruce e sacra sancti Hieronymi familia prior regalis monasterii sancti Laurentii villae „dell Escorial“ ejusque territorii sancti Thomae „del Puerto“ atque abbas „sanctae Mariae la Real de Parraces“ qui iisdem in locis sanctae Sedi immediate subjectis jurisdictionem quasi episcopalem exercet, mitra uti posset in Ecclesiis intra limites suae jurisdictionis, quemadmodum religiosi viri ordinis sancti Hieronymi cum Romae tum in Lusitania perfruuntur, quamdiu prioris et abbatis locorum, de quibus habita mentio est, munere fungeretur.

§. 2. Nunc autem cum carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus VII. Hispaniarum rex catholicus, cujus studia maxime semper facimus, Nobis exponendum curaverit suis in votis esse, Nos prioribus pro tempore existentibus commemorati monasterii sancti Laurentii „dell Escorial“ facultatem perpetuo facere, cujus praesidio in ecclesiasticis functionibus tam in templo praedicti monasterii quam in aliis omnibus, quae eorum jurisdictioni subiciuntur, non solum mitra verum lituo etiam, (vulgo pastorale) uti possint, quo magis Dei honor in divinis rebus

augeatur et fidelium mentes majori pietatis inflammantur ardore, Nos religiosissimi regis desideriis quam libentissime annuendum censuimus.

§. 3. Quamobrem et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes auctoritate apostolica hisce literis concedimus, decernimus, constituimus et indulgemus, ut perpetuis futurisque temporibus priores omnes commemorati monasterii sancti Laurentii dell' Escorial pro tempore existentes in Ecclesiis tantummodo intra limites eorum jurisdictionis in sacris rebus peragendis mitram ac lituum, (italice pastorale) libere et licite gestare possint, ea prorsus ratione, qua iidem religiosi viri ordinis sancti Hieronymi hic in urbe atque in Lusitania hujusmodi privilegio fruuntur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 7. Augusti 1832.

(Bull. r. Contin. t. XIX. pag. 125. Ed. Romae.)

Concessio usus mitrae episcopalis facta priori monasterii sancti Laurentii villae dell' Escorial in Lusitania.

Pius PP. VIII.

In futuram rei memoriam.

§. 1. Sacrorum insignium addita-
menta petentibus aliquando morem gerimus ea sane de causa, ut sacris in templis splendidior sit Dei cultus atque oratores externa decora adepti solliciti curent internis virtutibus enitere ac ad divina ministeria accu-

rate obeunda admoto veluti stimulo excitentur.

§. 2. Hinc quum acceperimus dilectum filium Josephum a Cruce e monasterio s. Laurentii villae „dell' Escorial“ ejusque territorii sancti Thomae „dell Puerto“ atque abbatem „sanctae Mariae la real de Paraces“, qui eisdem in locis sanctae Sedi immediate subjectis jurisdictionem quasi episcopalem exercet, impense cupere mitra uti, quemadmodum religiosi viri ordinis sancti Hieronymi tum Romae tum in Lusitania perfruuntur, haud gravati inducimur ejus ut votis obsecundemus. Quod quidem eo facilius illi tribuendum duximus cum venerabilis frater Franciscus Archiepiscopus Athenarum Noster et apostolicae Sedis ad regem catholicum nuncius ipsum priorem Nobis commendaverit idemque rex sua etiam sudia, maxime semper a Nobis habenda, benigne contulerit.

§. 3. peculiari igitur beneficentia eum prosequi volentes auctoritate Nostra apostolica concedimus et indulgemus, ut ipse dilectus filius Josephus a Cruce, quamdiu prioris et abbatis locorum, de quibus facta est mentio, munus gerat, non tamen ejus successores in Ecclesiis tantummodo intra limites suae jurisdictionis libere ac licite in ecclesiasticis functionibus mitram possit gestare, ea prorsus ratione qua iidem religiosi viri ordinis sancti Hieronymi hic in urbe atque in Lusitania hujusmodi privilegio perfruuntur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Septembris 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 144. Ed. Romae.)

5) Mitrae et baculi.

a) Mitra et bacul. sunt correlativa.

Vd.: *Usus Pontific.; Mitra.*

Treveren.

Cum Joannes Fredericus de Auwach modernus Abbas monasterii beatae Mariae in Sprinkersbach Canonice Ordinis s. Augustini Treveren. dioecesis, qui a quingentis annis citra usum baculi habuit sed mitra caruit et loco mitrae boneto seu bireto, quod vulgus cornutum vocat, usus fuit, a SSmo D. N. loco dicti bireti pro se suisque successoribus in perpetuum usum mitrae petierit et SSmus D. N. negotium in Sacra Rituum Congregatione examinandum remiserit, eadem Sacra Rituum Congregatio attentis narratis et quod etiam Rmus D. Archiepiscopus Trevenen. Princeps et Elector Imperii ordinarius suus non solum annuerit et consenserit sed etiam idem pro dicto abbate supplicaverit, maxime, cum usus baculi et mitrae sint correlativa, et cui unum conceditur aliud etiam concedendum esse in consequentiam intelligatur, censuit dicto Joanni Frederico abbati et successoribus suis in perpetuum usum mitrae loco boneti concedi posse; et ita declaravit. Die 8. Jan. 1605.

(Anal. J. P. 1863 p. 40. n. 147.)

b) Consecrationem non includit.

Praepositus Croatiae petit declarari: an ipse habens usum mitrae et baculi debeat benedici et consecrari?

Et Sacra Congregatio respondit: non debere consecrari. Die 10. Decembris 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 217.)

6) Pontificalium.

Vd.: *Usus Pontif. (modus etc.)*

a) Abbatis.

Urbanus PP. II. Petro abb. Coenobii Cavensis.

Concedimus et edicto perpetuo confirmamus, ut tam tu quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas libere possis Ecclesias construere, cum eruce signare aliaque pontificalia et spiritualia exercere, sacrorum ordinum collatione, basilicarum et altarium consecratione et charismatis confectione, tibi tuisque successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate.

Die 14. Septembris 1092.

(Bull. r. t. II. pag. 144. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Hugoni abbati Cluniacensi.

Dalmaticae, compagorum, chirothecarum et mitrae usum in festivitatibus octo praecipuis, sicut tibi concessus est, ita quoque tuis successoribus pro tuae religionis ampliori dilectione concedimus.

Die 16. Martii 1095.

(Ibid. pag. 158.)

Innocentius PP. II. Joanni abbati Monasterii Papiens. Dioec. ord. Cisterc.

Dalmaticae, sandaliorum necnon chirothecarum usum tibi tuisque successoribus juxta praedecessorum nostrorum statuta concedimus.

Die 3. Junii 1133.

(Ibid. pag. 381.)

Innocentius PP. II. Bertroo abbati Monasterii Fuldens.

Usum dalmaticae et sandaliorum in

missarum solemnibus ex apostolicae sedis benignitate, secundum quod in antecessorum nostrorum privilegiis continetur, dilectioni tuae concedimus et ob maiorem familiaritatis praerogativam, quam in sancta romana Ecclesia nostro tempore consequi meruisti, licentiam utendi mitra et anulo tuisque successoribus nihilominus impertimur.

Die 5. Junii 1133.

(Ibid. pag. 383.)

Eugenius PP. III. Oberto abbati Papiensi. dioec. ord. Casini.

Usum caligarum, sandaliorum, chirothecarum et mitrae, sicut per praedecessorum nostrorum authentica privilegia tibi tuisque successoribus concessum esse dignoscitur, et Nos ex liberalitate sedis apostolicae concedimus.

Die 24. Aprilis 1145.

(Ibid. pag. 512.)

Sylvester PP. II. Ercanbaldo Abbati Fuldensi Monasterii ss. Salvatoris.

Usum sandalorum ac dalmaticarum secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus.

Die 31. Decembris 999.

(Bull. r. t. I. pag. 477. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo IX. Fulconi abbati Corbeiensi.

Quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiae nostrae usum tibi dalmaticae et sandaliorum concedere.

Die 18. Aprilis 1051.

(Ibid. pag. 607.)

Victor PP. II. Friderico abbati Coenobii Montis Casini.

Usum sandaliorum et dalmaticae, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi et loco deinceps in principalibus tantum festis concedimus ad honorificentiam tam venerabilis coenobii et ob dilectionem tui, secundum quod praefatus decessor noster tuo praefato concessit.

Anno D. 1055.

Nicolaus PP. II. Desiderio abbati Montis Casini.

Usum sandaliorum et dalmaticae, quamvis jure cardinalatus tui ab apostolica sede perceperis, a nobis tamen tibi et loco, deinceps in principalibus festis tantum concedimus ad honorificentiam tam venerabilis coenobii et ob dilectionem tui, secundum quod praefatus decessor noster tuo praefato concessit.

Die 8. Martii 1059.

(Ibid. pag. 651.)

Gelasius PP. II. Petro abbati Cluniacensi.

Dalmaticae sive sandaliorum usum, quem personae tuae praedecessor noster sanctae memoriae Paschalis papa nostra potissimum intercessione concessit, hoc tibi singulariter amplioris dilectionis speculum indulgemus, ut quoties missas solemnes vel in populo celebraveris, usu eorumdem insignium potiaris.

Die 16. Decembris 1119.

(Bull. r. t. II. pag. 292. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexand. PP. III. Alfario abbati s. Michaelis de Monte Caveoso.

Praeterea pia supplicatione praedicti

Zachariae regii notarii clementer inducti, tibi fili abbas et successoribus tuis usum mitrae et anuli, in diebus dominicis et in aliis solemnitatibus, in processionibus monasterii vestri et in synodis archiepiscoporum, et de clementia Sedis Apostolicae indulgemus.

Die 30. Decbr. 1174. (Bull. r. t. II. p. 772. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Hugoni abbati Cluniacensi.

Tibi plane peculiari devotione concedimus, ut in processionibus missarumque solemnibus mitra utaris episcopali. In praecipuis vero festivitatibus, id est in quinque, quas praecipuas habetis, et in Theophania et in ascensione necnon et in dedicatione vestrae ecclesiae dalmaticam, chirothecas et sandalia induaris. Et hoc ad tuae religionis evidentiam atque ostensionem nostrae peculiaris dilectionis, quam ex sede apostolica magis meritis exigentibus promereris.

Die 1. Novb. 1088.

(Bull. r. t. II. p. 222. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexd. PP. III. Guillelmo Siciliae regi de Confirmatione Monasterii Montis regalis Ord. s. Bened.

Ut autem fervor devotionis et desiderii tui amplius accendatur, abbati ejusdem monasterii, qui ibi canonicè institutus, et successoribus ejus usum mitrae, chirothecarum, sandaliorum, tunicae et dalmaticae et virgam pastoralem et quotidianum usum anuli nihilominus indulgemus, et ut post missam et alia divina officia more episcopi benedictionem ad populum faciant, eis plenam concedimus facultatem.

Anno 1175. (Ibid. p. 776. t. II.)

Urbanus PP. IV. Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Montis Virginis ad Rom. Eccl. nullo medio pertinent. ordinis S. Benedicti Avellanae dioecesis salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesia Romana velut circumspecta mater et provida nonnullas ecclesias tamquam filias praedilectas majoribus offert honoribus, munere praeventit gratiae potioris et gratioribus insignitis titulis dignitatum, ut sicut venustalis et sapientiae filiae in matris obedientiam et reverentiam semper promptae habeantur ferventes et studiosae ad ipsius servitia, beneplacita et mandata.

§. 1. Cum igitur monasterium vestrum, utpote, sicut a fide dignis accepimus, pia religione conspicuum et a fidelibus populis illarum partium venerabiliter frequentatum ac respectum ipsum ex praerogativa specialis dilectionis et gratiae, sinceritatis brachiis amplexamur. Vestris propter hoc honoribus et utilitatibus libenter intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicae Sedis obsequiis, ex impensis vobis acceptioribus ab ea beneficiis, honoris et gratiae promptiores.

§. 2. Nos itaque ob devotionem B. Mariae virginis gloriosae, in cuius honore dictum monasterium est fundatum vestris supplicationibus inclinati usum mitrae, baculi, anuli, sandalium, chirothecarum, tunicellae, dalmaticae, benedictione solemnibus ad populum, ordinatione minorum ordinum, indulgentia quadraginta dierum, benedicere etiam calices et omnia alia ornamenta ecclesiastica et cognoscere de matrimonio inter vasallos, in quibus habetis spiritualia, tibi fili abbas et successoribus tuis in perpetuum, quos potius signitis intendere cupimus, dummodo tibi et eisdem successoribus